

1 15  
APOLOGIA.

# CIRCA OPPOR

T VNA TEMPORA AD EVACVAN-  
dum per sanguinis missionem in morbis praesertim  
febrilibus, illam exoptulantibus, iuxta Hippo-  
cratis & Galeni placita. Vbi etiam duo lo-  
ca apud Galenum difficilli-  
ma, ad eius mentem  
explicantur.

DOCTORE FRANCISCO XI-  
menio Guillen Atequensi, ac Medico  
Hispalensi, Auctore.


Anno



1607.

---

CVM LICENTIA.







**VI ACCURATE** Legerit ea omnia præcepta, quæ ab Hippocrate traduntur circa opportuna tempora ad euacuandum in morbis præcipuè acutis, tam per venæ sectionem quam per expurgationem; & exactè perpenderit rationes, quæ in eiusdem commentarijs à Galeno adducuntur; semper & ubiq; inueniet, eorum mentem fuisse, sanguinis quidē detractionem duntaxat habere locum in morborum principijs; expurgationem quoq; si materia turgeat; aliàs nunquā nisi in declinatione. Neutrum autem horum in incremento & vigore esse adhibendum. Conferamus ergo loca quæ hanc doctrinam manifestè demonstrant; erubescimus enim cum sine lege loquimur. *Con cocta medicari,* inquit Hippocrates, *Atq; mouere non cruda: neq; in principijs, modo non turgeant, & alibi .In acutis morbis raro, & in principijs medicinis purgantibus uti.* Alio etiam loco, qui est instar omnium vnus, & magis ad rem nostram facit. *Cum morbi inchoant,* inquit ille, *Si quid mouendum videtur, moue; cum vero consistunt ac vigent, melius est quietem habere.* In eius commentario Galenus diligens, ac fidus consultissimus illius senis interpretes docet, hoc consulere Hippocratem, quia vt ipse sequenti Aphoris. indicat. *Circa principia & fines omnia sunt imbecilliora; morbo autē consistente fortiora.* Dicitq; Galenus. *Circa initia morborum salubrium,* (nam exitiales & deploratos minimè attingendos suadet) *tentanda esse maiora remedia, sunt autē hæc,* inquit, *Præcipuè quidem venæ se*

1. apho. 22.

1. aph. 24.

2. apho. 29.

2. apho. 30.



Etio, nonnunquam verò expurgatio. Quorum neutrum oportet morbo iam consistente adhibere; nam coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hae, addit, citius eueniant, melius est circa initia euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura possit concoquere. Morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, graecè πὸ βῆτ' ἠδὲ πεπτα, super vacuum est. Vacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore est defatigata, licet duæ aliæ, vitalis scilicet ac naturalis maximè fortes persistant. Quam verborum Galeni seriem consultò huc transtuli, quòd ad rem quam paro, maximè pertineat.

Prima Hypothesis.

I. Apho. cōmen. 12.  
I. Cris. cap. 15.  
I. In. 1. Prohibit. comment. I.

Sed ut noster sermo clariùs procedat, duo quidè priùs, tanquam totius opusculi structiles bases & fundamenta, a nobis sunt praecipienda. Primum est, quòd principium morborum tripliciter legimus apud Galenum usurpari. Vno modo pro primo eorum insultu, quod quidem simplex est, nullã que habet latitudinem. Altero pro eo spatio temporis, quod vsque ad tertium vel quartum diem extenditur. Tertio, pro parte morbi totius, cum scilicet in principium, incrementum, statum, & declinationem sit diuisio. Atq; hoc modo sumitur pro toto cruditatis tempore, quod signa manifesta e coctionis definiunt.

I. Cris. c. 8.

Vbicunq; igitur Hippocrates & Galenus principium, siue principia nominant, tanquã tempus idoneum ad euacuationem in morbis, necessariò iuxta eorum mentem sumitur principium in hac postrema significatione, nempe pro toto tempore cruditatis, iuxta quod Galenus alibi dixit

Pro



Proprium igitur vniuscuiusq; morbi principium coctionis signis determinatur, & Paulo infra ait, tunc enim primū finitur, cum coctionis signa apparuerint.

Secunda Hypothesis

Secūda Hypothesis est, hos auctores, dum circa initia morborum jubent facere praedictas euacuationes, in vniuersum voluisse in incremento vitandas (nam de statu aperta mens eorum est) & licet expressè de incremento non loquantur, ex eorum tamen dictis & rationibus elicitur. Quin imò expositores ferè omnes supra illum Aphorismum, Cum morbi inchoant. & omnis medica scho-

Secundo Apho. 29.

la sub vigore etiam incrementum includi praedicant. Sit pro mille testibus vnus Antonius Musa, Brasauolus, Ferrariensis, cuius hæc sunt verba in eiusdem Aphorismi commentario. Et si ἀρχῆ, id est, Vigor, sit morbi status, & tempus maioris pugnae, tamē in praesentiarum sub vigore augmentum vniuersale intelligimus, quoniam & in hoc tempore melius est quietem habere. At si fieri contingeret, augmentum commodius est quam status. Haec postrema verba in posterū memoria seruāda velim. Idem etiā sensisse videtur egregius & verè regius Medicus Vallesius, cū ait.

Musa in cōment.

Vallesi. lib. 4. Meth. c. 2.

De tēporibus quidē vniuersalibus morbi, rectè dictum est ab Hippocrate morbis inchoantibus, si quid videtur mouē- dum moue, elapso verò principio, euntibus que morbis in vitū sub principio non in- gorem, ac multo magis in ipso vigore, melius est quietem agere.

Incrementum vitū sub principio non includitur-

Quòd autem incrementum sub principio non comprehendatur, hac vnica ratione demonstro. Principium, Galeno teste, in supra adductis Aphorismis ab Hippocrate accipitur pro toto tempo-

lib. de toti. mor. temp. cap. 2.



te cruditatis, ergo nullo modo sub principio aug-  
 mētum includi potest. Principiū namq; signis co-  
 ctionis terminatur, quae in incremēto apparere  
 solent, iuxta quod Aetius perbellè scripsit. *Qua*  
*igitur die apparuerint in superfluitatibus quae excernuntur,*  
*manifestae coctianis signa, in ea dicimus principium totius*  
*morbi cesasse, & incipere ipsum augmentum.*

*Tetrab. 2. 6.*  
*Serm. 1. cap.*  
*6. in fine.*

*Incrementum sub vi-*  
*gore compre-*  
*henditur.*

*2. apho. 30.*

*3. cris. cap.*  
*5. & 2.*  
*apho. 29. l.*  
*de toti mor.*  
*tempo, c. 3.*

*In comen-*  
*eiusdem A-*  
*phoris.*

Quòd verò sub vigore etiam incrementum cō-  
 tineatur, preater quā quod est medicorum (quos  
 legerim) omniū sententia, ex rationibus, quibus  
 Hippocrates & Galenus moti, venae sectionē &  
 expurgationem circa morbi vigorem non consu-  
 luerūt, perspicuè colligere licet. Nā præter eam  
 quam posuit Hippocrates. *Circa principia & fines*  
*omnia debiliora, circa statū verò fortiora.* Praecipua om-  
 nium ratio est, quia in vigore natura est maximè  
 intenta coctioni (*Coctiones enim morborū, inquit Ga-*  
*lenus, tunc maximè fiunt*) & non oportet eam a suo  
 opere distrahere. Quod proculdubio fieret, si co-  
 tempore euacuaremus. Hæc ratio tam militatiæ  
 augmento quam in statu; nam in utroq; tempore  
 natura vacat coctioni. Secunda ratio est, ne impe-  
 diantur crises. Hæc quamvis magis militet in vi-  
 gore (cum eo tempore insent crises) nihilomi-  
 nus etiam ex euacuatione in augmēto impediun-  
 tur: & producitur vigor, quòd natura ob euacua-  
 tionem diuertatur ab incoepto opere. Addit Ga-  
 lenus aliam. *Quia in vigore magna ex parte facultas*  
*animalis est fatigata, licet aliae duae fortiores persistant.* De  
 quo postea in responsione ad argumenta. Aliae si-  
 quæ sunt rationes, vel expurgationem expectant,

vel



vel minus his praecipuae sunt. Omitto ex Induf-  
tria illam, quam potissimam censet Galeni loci  
expositor, scilicet in vigore & declinatione mor-  
bi non adesse vires. Vnde colligit in his duobus te-  
poribus non esse sanguinem detrahendum. Cuius  
cogitationis falsitas & error postea ex nostra in-  
terpretatione in Galeni loca de optima secta ad  
Trasybulum, luce clarius apparebit.

cap. 40.

cap. 41.

In hoc tamen stat, *τέχνη* solers, seu exactum  
medici iudicium, ut a principio talis euacuatio fiat,  
ac tanta, ut sit sufficiens pro plenitudinis & vitium  
ratione, ad hoc quod natura reddatur potentior  
supra residuum. *Leuata namque quae corpus nostrum re-*  
*git natura, exonerataque eo quo velut sarcina praemitur,*  
*haud aegre quod reliquum est vincet. Itaque proprii mune-*  
*ris haud oblita, & coquet quod concoqui est habile, & ex-*  
*cernet quod potest excerni. Et hoc est, quod Galenus*  
alibi magis diuine quam humane docuit, dicens  
*Ipsa per se auxilia sine naturae adminiculo causas morbi*  
*extirpare non posse, & ferme solum impetum, motus que*  
*principium naturae iniucere, reliqua per se naturam admi-*  
*nistrare ac perficere.*

In quo stat

exactum me

dici iudicium

circaeuacua

tionem in

principio.

lib. 11.

metho. cap.

15.

lib. de opt.

sect. ad tra.

cap. 41.

Transacta autem hac principij occasione, cum  
morbus est in augmento, & iam natura incoepit  
coquere, non debet medicus esse impedimento  
naturae quae contra morbum aggressa est pugnam,  
& iam manifeste operatur. Hinc elucescit mirum  
Hippocratis & Galeni artificium, quo iubent fa-  
ciendam euacuationem in morborum principijs  
(Etenim hoc tempus quod morbi principium nominant, in-  
quit Galenus, ad praesidia ferenda mirum in modum co-

Lib. de toti.

mor. temp.

cap. 12.



lib. 2. de cu-  
ran. mor.  
cap. 1.  
  
Sufficiens  
sanguinis  
missio ex co-  
ctione in v-  
rina appare-  
te cognosci-  
tur.

ducit) antequam scilicet natura cum morbo praelium  
ini erit, nam quando iam aggressa est, & incipit  
vincere, non oportet illam a suo opere retrahere,  
maxime cum facta est iam in principio euacua-  
tio conueniens, & pro multitudine & virium ra-  
tione sufficiens. Factam autem esse sufficientem  
sanguinis de tractionem in principio, disertissime  
docuit (quisquis ille fuerit) Paschali Scholiastes,  
qui de febris continentis curatione agens, in hunc  
modum scripsit. *Post sufficientem sanguinis missionem  
quam cognosces ex coctione quae in vrina apparere incipit,  
cum iam curata sit causa obstructionis, ad hanc veniendum  
est.* En igitur (amice lector) etiam hic Scholiastes,  
quem multum legit & diligit expositor, aduersus  
illum est.

Sed quid mirum? nam cum veritas vna sit, nul-  
li dubium esse potest, aut debet, quin ille qui ip-  
sam cum Hipp. & Galeno fuerit assequutus, sibi & ip-  
sis perpetuo consentiat, ab amico vero dissentiat. Si  
enim ex hoc viro (quem verum Galeni discipulum &  
strenuum methodi obseruatore Auctor expositionis  
apellat) eo tempore sufficiens sanguinis missio facta  
iam est, quando in vrina apparere incipit conco-  
ctio; ergo minime facienda in incremento, cum  
in hoc tempore concoctio manifesta iam appa-  
ruerit.

Facta suffi-  
cienter euacua-  
tio in princi-  
pio ab Hip-  
poc. & Ga-  
leno suppo-  
nitur.

Factam autem in principio euacuationem suf-  
ficientem absq; dubio Hippocrates & Galenus sup-  
ponunt; nam cum omnia practica praecepta sint  
metrum & mensura, & veluti Polycleti Canon  
ad ordinariam, legitimam & regularem curatio-  
nem



nem, omnia requisita pro eorum veritate supponē  
 da voluisse ipsosmet legumlatores, credere par  
 est. Id quod ferè omnes expositores supra primū  
 Aphorismorū cum Hippocrate animaduerterūt *1. Aph. 1.*  
 dicente. *Non solūm medicum praestare se oportet oppor  
 tunafacientem &c.* Cum igitur venerā dus ille senex  
 statuit. *In acutis morbis rarò, & in principijs &c. & ali  
 bi, Medicari in valde acutis, si materia turgeat, eadem die  
 &c. & Cum morbi inchoant, si quid videtur mouēdum, mo  
 ue &c.* Praesupposuit quòd medicus vocetur à prin  
 cipio, & quòd optimè vim & causā morbi noscat,  
 illisq; in tēpore opportuno, videlicet principio ad  
 hibeat auxilia morbo & causae morbificae pro  
 portionata: aeger verò se ipsum praebat faciē  
 tem quae oportet, nempe medico obedientem.

*1. Aph. 1.*  
*1. Apho.*  
*24.*  
*4. Aph. 10*  
*2. Aph. 29*

Ex his quae haecenus a nobis dicta sunt, tanquā *Principium*  
 fundamenta firmissima; (vt pote Hippocratis & *duntaxat*  
 Galeni decretis maximè consentientia) satis cui *ad Venae se*  
 que arbitror patere, tempus idoneum ad sangui *ctionem tē*  
 guinis missionem in morbis illam ex postulatibus *pus idoneū.*  
 praecipuè in febribus, duntaxat esse principium.  
 Quod institutum, intentum quae satis superq; pro  
 baste mihi videntur Horatius Augenius de missio  
 ne sanguinis, & Laurentius Ioubertus de iteran  
 da saepius phlebotomia eodem in morbo.

*lib. 8. cap. 6*  
*& 12.*  
*In I. respō.*  
*ad Alex.*  
*Causis*

Verūm quia celebris Galeni locus, qui extat li  
 bro nono methodi (vbi febrium continentiū cu  
 rationem instituit) totam nostrā fabricam euerte  
 re videtur, eius explanationi tantisper nobis  
 immorandum est. Is quidem ita graecè legitur.

*c. 5.*

τάματα δὲ σαυόχωρ πωρετὰρ δίο ταυτ' ἐσι μέγιστα. φλεβοτομία καὶ  
 ψυχρόγ. ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἐν παντὶ καιρῷ, φερῶσιν γὰρ τῆσ' δυνάμειω.

**B** *Maxi-*



Maxima Verò februm cōtinentium remedia haec duo sunt  
de tractio sanguinis & frigida potio. Verum illa nullo nō tē-  
pore, modo vires sustineant. Qui locus multis errandi  
praebuit occasionē, cum illius sensum nondū pe-  
nitus calluerint. Videamus primò quid alij senserint,  
posterius meam proferam sententiam.

*Vaesius cō-  
ment. med.  
cap. 12. de  
pleuri. pro-  
pe finem.* Sunt qui per verba, *Nulla non tempore*, omnia qua-  
tuor vniuersalia morbi tempora intelligant, è quo-  
rum numero est Petrus Vaezius Lusitanus, qui in  
suo satis erudito comentario medico, hoc Galeni  
loco adductus, tenet in omni tempore etiam coc-  
tionis, posse sanguinem mitti. Quem per otium le-  
ctor videre potest.

Nouus quidam huius loci expositor, quem iam  
diu scrupulus hic vrgebat, in quadā exercitatione  
circa opportuna tēpora ad sanguinis missionē in  
morbis illā postulantibus, praecipuè in febris,  
quā Hispali nuper in lucē edidit, fatetur se, cū ad  
huc esset Tyro, primū huic Gal. locū de tribus  
synochi differentijs scriptum intellexisse; verū  
postea miles iam veteranus palynodiam fecit,  
cum iam scilicet sui iuris factus esset,

*Candidior postquam rudenti barba cadebat.*

*Respexit tamen, & longo post tempore venit*

In hanc sententiā, ut videlicet verbis illis. *Nul-  
lo non tempore*, velit Galenus in principio & incre-  
mento harum februm sanguinem esse detrahen-  
dum. Nescio profectò quo logico organo in struc-  
tus, propositionem vniuersalem affirmatiuam (si  
intelligeretur a Galeno de morbi temporibus) ad  
duo tantū tempora morbi restringat. Nam qui  
dicit



dicere omne tempus morbi nullum excludit. At Galenus tam optimus logicus fuit quam medicus, atq; ideo id dicere non potuit. Sed iam audio huius loci expositorē aduersus me dicentē quòd propositio est conditionalis, quae nihil ponit in esse, ac proinde dictionem illam, modo, controuersiā dirimere. Nam idē est dicere, inquit ille, Venas esse tantūm secandas in principijs, incrementis que morborum, quā in methodo (assignato morbo exposcente) consulere vires robustas, sustinētesq;. Si enim ipse, (de Galeno loquitur) transactis initio incrementōq; morbi (& cum illo omnis schola medica) de Viribus constantibus dubitat, scripsisse nunc, verūm illa nullo non tempore, modo vires sustineant. Ipsissimum est, ac exarasse. Horum neutrum oportet adhibere verbo consistente, non enim, inquit ille, sunt vires constantes de Galeni sententia, nisi initio, & augmento morbi. Itaq; dicere sanguinem mittendum nullo non tempore, modo vires sustineant, est idem ad dixisse, venam secandam in initio & incremento; in istis enim temporibus vires sustinere solent, non verò in reliquis temporibus. Haecenus Galeni loci expositor. Cui facillimo negotio responderi potest, quòd vbi cumq; Galenus praecipit venae sectionem in principio, semper virium roboris conditionem ponit: & merito quidem, quia alter est, imo praecipuus (vt ipse alibi scribit) ex necessarijs scopis. Atq; ita nō ideo addidit conditionē, modo vires sustineant, vt principium & incrementum includeret (vt pote in quibus, vt ait expositor, vires sustinere solent, nō verò in reliquis temporibus) sed vt etiam principium reiciendum ostenderet, nec ab eo auxiliij occasionem esse captandam, si aliquā-

Obiectio.



Responsio.

1. De ratio.  
vict. com.

45.



do etiam initio morbi vires non sustineant. Proinde hoc in loco Galenus dixit. *Verum illa nullo non tempore, (videlicet in quo est materia cruda) sanguis est mittendus, modo vires sustineant.*

Hic Galeni loquendi conditionalis modus, cum venam secundam praecipit, etiam in principio morbi, si attente legatur, mille in eius locis reperitur. *Itaque* inquit ille. *Si quando vel secundo a principio die vires exoluerentur, a vena secunda abstinemus.* Tantum abest ut Gal. virium roboris conditionem posuerit ad hoc quod principium & incrementum tantum includeret, ut etiam principium excluderet, si virium robur non adfuerit. Nullibi autem apertius id Gal. docuit quam libro undecimo methodi, ubi de harum febrium curatione per venae sectionem agens dicit. *Si vires eius qui ex putredine humorum febricitat, valentes sint, statim mittendum esse sanguinem, si cruditas ventris non sit, statim incipiente morbo.* Nec sibi repugnare (ut male Lemosius ait) mihi videtur hic Galenus, dum dicit se paulo supra ostendisse synochum in virium imbecillitatem non incidere; hic vero etiam in principio morbi virium roboris conditionem ponat. Non enim absolute, sed ut plurimum eam in robustis fieri dixit lib. 9. meth. unde semper & ubique cum Hippocrate virium roboris conditionem, ut pote necessariam Galenus ponit.

Sed unde discessi, eo iam reuertor. Quidque ego circa huius loci explicationem sentiam, ita me expedito. Si tempus, graece καιρός, de quo dubitatur, acquiuocum sit ex suppositione expositoris, ex

Aristo.

lib. de cur.  
rat. per san.  
miss. c. 20.

cap. 14.  
in initio.

In coment.

cap. 3.  
4. De ratio.  
vict. 19.



Arist. sent. prius distinguendum fore censeo. Ita enim non laborabimus in aequiuoco, ut reliquis huius loci expositoribus contigit. Tempus in medicina, sicut canis in logica, aequiuocè de multis dicitur, ac proinde multa diuersa tempora significat. Primo modo dicitur tempus de spatio illi temporis extrinseco, in quo tanquam in stadio omnes morbi percurrunt, donec metam contingant, id est, terminentur. Sic enim Diaria vnum percurrunt diem. Morbi exactè peracuti quarto, peracuti septimo, acuti quatuordecim diebus terminantur. Quartana menses vel annum perdurat. Hoc tempus primo modo sumptum, a Philosopho numerus motus secundum prius & posterius definitur. Quod annorum, mensium, dierum, noctium, horarum &c. numero circumscribitur. Tèpus hoc ap-  
 positissimè (meo videri) M. T. Cicero in hunc modum definiuit. *Tempus autem est id quo nunc utimur,* (nam ipsum quidem generaliter definire difficile est) *pars quaedam aeternitatis cum alicuius annui, mensurui, diurni nocturni ve spatij certa significatione.* De hoc Gal. in eodem huius loci capite loquitur, quando paulo inferius dixit. *Nam si praecedat ciborum cruditas, tanto tēpore differre venae sectionē iubebis, quantum satis fore, tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa descendat, videatur.* Secundo modo sumitur tempus pro occasione, quae nihil aliud est, quam tēpus opportunū ad auxiliorum exhibitionē. De hoc dicebat Hippocrates, *καιρός ὀξύς* Occasio praeeptus. Hoc quoque vocatur auxiliorum tempus. Tertio dicitur tempus de morbi temporibus, quae in morbis materiali-

*Tempus de multis aequiuocè dicitur*

*Tempus tripliciter accipitur.*

*Lib. 4. phis. cap. 11.*

*Lib. 1. de Inuencio. cap. 55.*

*Lib. 9. met. cap. 5.*

*1. Aph 1. & epist. ad Crate.*



bus sunt quatuor iuxta materiae alterationē, principium scilicet, incrementum, status & declinatio (quae quidem se habent veluti quaedam morbi aetates) vnde merito tempora cruditatis & coctionis appellantur.

*Distingue tempora, & concordabis iura*

Quòd si rigidus aliquis logicus adhuc dicat, tēpus non esse aequiuocum, sed analogum (quae melior opinio est) tunc aptius, cū tempus sit per se sumptum, stabit pro primario, & famosiori significato, quod tempus simpliciter, & absolutè dicitur; & satis cautè ponitur hoc in loco a Galeno logicae etiam peritissimo. In quo tantum agit de occasione mittēdi sanguinis in synochis febribus; quam docet non esse desumendā ex numero dierum (quod alij medici factitabant) quem elegantissimè per verba illa, *nullo non tempore*, ab occasione secludit.

Pro cuius doctrinae, & loci maiori explanatione antequam ad eum exponendum me accingam, nō nulla scitu digna maximè Tyronibus circa litteram capituli, iuxta Galeni methodum in curandis his febribus praecipuè putridis, sunt a nobis praemittenda. Primò docet Galenus duobus maximis remedijs synochum esse curandam, sanguinis de tractione, & frigido potu. Curatur primò venae sectione, quia cum in synocho praesertim putri, reperiantur septem illi affectus, de quibus lib. 1. r. methodi & pluries alibi. Primus est febris 2. putredo. 3. prohibita ventilatio. 4. obstructio, 5. humoris



8  
moris multitudo 6. crassities, 7. viscositas. Multitudinis copia obstructionem efficiens, quae resolutiua methodo, vltimo loco fuerat inuenta, in executione prima omnium sui ablationem, quae fit per contrarium nempe euacuationem, indicat. Cum autem obstructionis causa sit sanguinis multitudo, per sanguinis de tractionem euacuanda est. Quae maximum remedium est, & praestantissimum pro hac febre curanda. Itaq; cum synochus morbus sit magnus, inno (vt Galeni verbis vtat) maximus acutissimus, & grauissimus cum magna plenitudine, magnum expostulat remedium euacuans. Quare de sanguine mittendo ita delibera- mus. Synochus est magnus affectus cum plenitudine omnium humorum exposcente magna omnium euacuatione; sed magna omnium humoru euacuatio solum fit venae sectione (nam inedia, frictio balneum, & vniuersum exercitium, quibus fit omnium humorum euacuatio, Galeno Auctore, non sunt magna remedia, non enim affectus magnitudini & celeritati satisfaciunt) quare illis vtendum non est. Neq; expurgatione, quia illa omnes humores non euacuat. Est enim expurgatio humoris sua qualitate peccantis euacuatio. Erit igitur sanguis mittendus vt plenitudinem sanguinis, causam obstructionis in omnibus vasis maximis (qualia sunt quae inter inguina & alas) existentem euacuemus. Quia huius obstructionis causa (vt ex lib. 9. methodi c. 5. & ex prima historia cap. 4. colligitur) est plenitudo, non ea quae est ad vires, sed quae ad vasa; eodem enim loco Galenus

lib. 2. Aph.

22.

lib. 9. meth.

c. 5. de san-

guinis mis.

cap. 12.

4. meth. c.

6. & lib. de

sanguinis

mis. cap. 10



plenitudinem quo ad vires synochum non effice  
re scribit.

*Quatuor* Sed cum venae sectio sit auxilium, necessariò  
*venae sec-* habere debet omnes quatuor illos auxiliorū sco-  
*tionis scopi.* pos. Hi verò sunt qualitas, quantitas, occasio, &

*Qualitas.* vtendi modus. Qualitas est ipsa sanguinis missio,  
quantitas illius ex affectu, viribus, aetate, regione  
&c. desumitur. In synochis itaq; febribus docet

*Quantitas.* Galenus, maximam copiam sanguinis esse euacuã  
*Unde sumi* dam etiam vsq; ad animi deliquium. De quibus lo-  
*tur.* quutus est, cum in ardentissimis febribus sangui-

*1. Apho.* nem detraxit vsq; ad animi defectionem. Delibe-  
*23.* rat autem ille ex maxima plenitudine, & viribus  
admodum robustis (quibus qui synocho corripitū-  
tur, constare solent) semel sanguinis detractioñē  
vsq; ad animi defectum (quod annotandum, & nō  
imitandum in his nostris temporibus existimo) si  
verò propter vires id non liceat, reiterata venae se-  
ctione supplet. Postremò docet, sanguinis detrac-  
tionem esse adeò necessariam in curãda synocho,  
vt hoc remedio omisso, in summū discrimē deue-  
niant aegrotantes, nisi eos vel virium robur, vel  
largum sanguinis profluuium, vel sudor copiosus  
& manifesta pernitie liberet.

Sed de quantitate satis; iam ad occasionem re-  
deo. Cuius hñc mentionē fecit Galenus, cum ait.  
*Occasio de* Verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant. Oc-  
*nae secan-* casio mittendi sanguinis sumitur ex affectu pos-  
*dae Unde* tulante, & absentia impredientium. Quod postulat  
*desumitur.* venae sectionem, est sanguis peccans quantita-  
te, qui vt euacuetur, sanguis detrahendus est dun-

taxat



taxat in principio, seruato scilicet veteri praecep-  
to euacuandi circa initia. Id quod passim ex Gale-  
ni verbis colligere est, cum sanguinem detrahit,  
nō solūm in febribus synochis, sed etiam alijs mor-  
bis. Lib. 9. methodi cap. 4, & 5. vbi de synochis a-  
git, statim, inquit, a principio nō euacuarunt, alibi. Tantū  
principio detrahere, & li. 11. meth. c. 14. vbi de sangui-  
nis mittendi ratione in synochis agit, sic in ipsius  
capitis exordio ait. Quippe si vires eius qui ex putredine  
humorū febricitat, valētes sint, mittendus statim sanguis est,  
si cruditas ventris nō sit, statim incipiēte morbo. Quinimo  
in duabus historijs quas refert, in primo aegrotō,  
iuuene palestrae perito, qui febre synocho sine  
putredine laborabat, tertia nocte sanguinem de-  
traxit vsq; ad lipothymia, ex quaalui deiectione, bi-  
lis vomitu, & sudore superueniēte, protinus febris  
fuit extincta. Adeo vt abastantibus per iocū febrē  
iugulasse dictus fuerit Galen. In altero seruo, qui  
synochum putrem patiebatur, protinus secun-  
do die, in quo putrescentium humorum eui-  
dentes erant notae, sanguinem missit vsque  
ad animi deliquium. Quid plura? ausim asserere  
nunquam & nusquam apud Galenum reperiri  
quòd in curandis febribus continentibus in in-  
cremento venas secuerit. Nam vel semel subitò  
& affatim sanguinem detrahit vsque ad ani-  
mi defectionem; vel eadem die iterauit. Iteratae  
autem, inquit ille, detractionis tempus, in quibus sim-  
pliciter euacuare studemus, eodem die esto.

lib. 11. me-  
tho. cap. 14.  
& 15.

lib. 9. metho.  
cap. 4.

lib. de sang.  
miss. c. 21.

In casu verò quòd in principio venae secandae  
remedium fuit praeter missum, (de quo postea in

C            secun-



secūdi Galeni loci explicationē agemus) ex eodem licet sanguinem mittere in incremento.

Adde etiam licere, si non fuerit facta sufficiēter euacuatio in principio. Sanguis igitur mittendus est duntaxat circa initium, quando eo tempore est quod postulet, nempe sanguinis plenitudo, & non est quod illam impediat. Abest enim ut plurimum virium imbecillitas, quae sola praesidium hoc prohibere potest. *Rarius autem accidit, ait idem Galenus, ut protinus in primo secundo ve die vires imbecillae cernantur, accidit tamen interdum.*

Existente igitur affectu postulante, & non prohibente, venae sectio debet exerceri statim in principio, nulla habita ratione numeri dierum, quod aptissimè Galenus dicit verbis his, *nullo non tempore* (graece ἐν παντί καί ποτε) Id est, omni vel quocunque tempore prima acceptione sumpto, ac si diceret, quocunque die, siue quacunque hora diei aut noctis (alibi namque de his febribus agens dicebat.

*lib. de sang. miss. c. 12.* *Eriam per noctem sanguinem mittere non verearis. Et hoc modo adequatè & completè (ut logicis terminis utar) verificatur propositio vniuersalis affirmatiua. Nullo non tempore sanguis est mittendus, modo vires sustineant; Si intelligatur, (ut intelligi debet) de tempore quo nunc utimur (quod rectè definiuit Cécero) nō de morbi tēporibus. Hoc enim Galenus scripsit contra antiquiores medicos, qui ex numero dierum mittendi sanguinis occasionē desumebant. Quorum absurdam opinionem refellit ipse libro de curandi ratione per sanguinis*

*missio.*



10  
missionem: alij enim, vt ibi scribit, ridiculè non nisi post tertium diem venam secabant, ij que Diatritarij dicebantur, quòd ante tertium diem neque cibum, neque medicamentum exhiberent. Cuius sectae fuit Thesalus inuentor. De his meminit libro 1. 1. methodi, & alibi.

Alij contra istis repugnantes (cuius opinionis videtur etiam esse Celsus) vltra quartum diem venae sectionem prohibebant: Quorum etiam alicubi mentionem fecit Galenus. Contra quos omnes sic ait. *Igitur in summa hoc sciendum primùm, quòd in sanguinis missione dierum numero non sit attendendum, quocunque enim die (attende ingeniose lector, idem enim est libro de sanguinis missione, quocunque die, quam in methodo, nullo non tempore, modo vires sustineant) ad sint scopi, etiam vigesimo sanguis est detrahendus. Quasi diceret, primo, secundo, tertio, & quarto, & alijs deinceps, modo vires constant; nò enim dierum numerus sanguinis detractione describit, sed scopi. Nã cum apud Gal. duo primi principesque sanguis mittendi scopi sint, morbi magnitudo, & virium robur (quippe qui in vnum consentientes, id perpetuò remedium in morbis exposcentibus requirunt) his ambobus praesentibus, quocunque tempore, siue diurno, siue nocturno, quocunque die, siue primo, secundo, tertio (aduersus Diatritarios) siue quarto, quinto, sexto, & alijs deinceps (aduersus illos medicos, qui vltra quartum diem sanguinem nò detrahebant) in his febribus continetibus vena secanda est*

Descendamus igitur ab vniuersali, nullo non tempore, ad eius particularia. Quae facile quilibet

4. meth. c. 4.

cap. 5.

lib. 2. cap. 2.

lib. 2. Epid.

com. 3. 79.

lib. de sang.

miss. c. 20.

cit.



cap. 13.

cap. 5.

lib. de sanguinis mis-  
sio. cap. 12.

cap. 21.

ex multis Galeni locis in eius Oceano poterit ex  
 piscari. Nam ferè omnia quae in definitione tem-  
 poris a Cicerone tradita continentur, Galenus  
 expressit, vbi de tempore hoc facit ipse mentio-  
 nem. Tanta est termini vniuersalis latitudo & vis.  
 De senibus enim lib. de cur. ratio. per sang. mis. lo-  
 quens, sic scriptum reliquit. *Itaque non numero an-  
 norum solum modo animum aduertes, quod quidam faciunt,  
 sed et corporis habitui, nam sunt qui sexagesimo aetatis  
 anno venae sectione non ferant, cum quidam qui septuaginta  
 nati sunt annos, perferant. Adeo magna est horum sco-  
 porum, praecipue virium roboris dignitas & vis.*  
 Libro nono methodi. *Optimum igitur factu est, in-  
 quit, (Id quod nos semper in re quaque facere vidisti) sta-  
 tim non numero dierum, sed vni virium robori in febrili-  
 bus eius generis attentum esse, quippe quod si serua-  
 tum sit, non solum sexto, septimo ve, sed etiam sequenti-  
 bus diebus sanguis est mittendus.* Alibi verò de fe-  
 bribus synochis agens in haec prorumpit ver-  
 ba. *Nam in quibus tibi sanguinis ferbentis copia apparet,  
 quam ocysime eam euacuare conator, priusquam in prin-  
 cipem aliquam partem ingruat; quam ob rem etiam per noc-  
 tem sanguinem mittere non verearis. Si quidem ridicu-  
 lum est quod quidam faciunt, a secunda diei hora ad quintam  
 aut sextam solum modo sanguinem mittentes, haud alio quo-  
 vis tempore.* Idem scribit eodem libro de sanguinis  
 missione, vbi haec leguntur verba, *Verum si quis me-  
 moriatenet, quae toto hoc libro sunt dicta, nihil tale com-  
 mittet, sanguinem mittens qua vis diei noctis que hora.*  
 Miror virum in hoc libro tam versatum, & to-  
 tum illum memoria retinentem haec Galeni tes-

timonia



timonia tam manifesta latuisse.

Hanc denique Claudij Pergameni mentem & doctrinã Auicennas ille Arabũ facile princeps (tanquam interpretis eius fidissimus, qualem se se ingenuè fatetur) sapienter explicuit, dum de febre sanguinis curatione agens, hec verba scripta reliquit. *Euacuatio autem non est aliqua, sicut phlebotomia ex manu, in quacunque hora accidat, id est, in quocunque tempore, vel, nullo non tempore.* Hora enim apud Arabes tempus significat, alibi namque ipse ait. *Horamultũ calida, aut multum frigida prohibet a sanguinis missione.*

F. I. 4. trac.

2. c. 45.

F. 4. I. cap.

3. &amp; 5.

Quid apertius pro Galeni mēte hoc in loco explicanda, ab interprete fidissimo dici potuit? maxime cum addit, & non expectatur crisis, nec digestio, id est concoctio.

Vocetur etiam ex Neotericis, tanquam verus testis in huius nostrae expositionis veritatem pro Galeni mēte confirmandam, Paschalij scholiator, qui de synochis agens, in hunc modum scribit.

*Tum in synocho & continuis, dum modo adsint vires, quocunque tempore licet sanguinem mittere; In intermittentibus solum hora intermissionis.* O verum Galeni discipulum, ò denique strenuum methodi obseruatore. Quid enim aliud est. *In synocho, dum modo adsint vires, quocunque tempore licet sanguinem mittere, quam in methodo, Verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant.*

lib. 2. feb.

schol. I.

Ex quibus tam aptissimis & sibi maxime consentientibus locis, quis vel coecus etiam non videt, Gal. sub vniuersali, *nullo non tempore*, particularia temporis tempora intellexisse, non vniuersalia morbi. Nihil enim aliud est, aut esse potest, *nullo non tempo-*



re vena est secanda, modo vires ferant, quam quòd  
in omni vel quocunque tempore, siue diurno, si-  
ue nocturno, quavis diei noctis que hora ad sint  
scopi, in febribus continentibus sanguis detrahē-  
dus est. Ac proinde nō numero dierū attendēdū  
esse, sed vni viriū robori. Nō enim annorū, siue die-  
rum numerus, nec horarum a venae sectione per se  
ac primò dehortatur, sed quod saepe saepius fit,  
temporis progressu vel concoquitur, aut concoc-  
ta est materia, vel vires dissoluuntur, aut sunt  
iam dissolutae; quae etiam (licet rarò accidat)  
vel secundo a principio die debiles esse possunt,  
( vt supra ex Galeno dixi ) nedum procedente  
morbo.

lib. 10. meth  
cap. 2.

Sed vt iterū a particularibus, ad quae factus est  
descensus, ad vniuersale tempus ascendamus, ego  
non video quid pulchrius, quid elegantius, quid  
denique aptius & compēdiosius a diuino Gal. excogitari  
potuit, quā dicere. *Verū illa nullo non tempore, mo-  
do vires sustineant, vt sub vniuersali, nullo non tempore,*  
omnes eius partes & particularia tēpora amplecte-  
retur. Ita esse interpretandum hunc Galeni locum  
veritas animosa imperat.

lib. 9. cap. 5.

Dum verò Galenus in methodo dixit. *Non  
numero dierum, sed vni virium robori esse attenden-  
dum, quippe si hoc seruatum sit, non solum sexto, septi-  
mo ve, &c;* Quamuis ille censuerit his verbis, oc-  
casionem sanguinis mittendi non esse desumen-  
dam a tempore quod numero quorundam dierū  
circūscribitur, adhuc tamen voluisse faciendam  
in principio, dum scilicet adhuc ad sint plenitu-  
dinis



dinis & cruditatis signa, omnes ferè medici ce- Iouber. in  
lebriores censere, ita vt principium vsque ad vi- disput. de ite  
gessimum diem extendant. Sed cum in acutis ran. phlebo.  
morbis decima quarta nedum vigesima non pos Fern. 2. me  
sit, vel potius non soleat, vigere indicatio venae se tho. cap. 13.  
ctionis; est qui dicat, Galeni sententiam non esse Alderna.  
intelligendam absolutè, sed cum conditione, si vi de med. vet.  
delicet aliquando contingat. & noua cap

Hanc difficultatem olfaciens Iulius Alexan. 2. dialog. 3.  
drinus in annotatione in illum textum libri noni cap. 5.  
methodi. Non solum sexto, septimo ve, &c. ait. Non de  
synocha correptis dixit, hi namque non facile ultra septi-  
mum protrahi diem solent, sed de alijs multis, cuiusmodi  
quoque historiam in libro de curatione per venae sectio-  
nem in fine, iuuenis oculorum phlegmone laborantis, cui qui-  
dem venam secuerit ipse post diem demum vigessimum  
circiter. Quae Alexandrini verba ideo transtuli,  
quia rarus Auctor est, & nō facile vbique reperitur.  
Haec tamen explicatio, pace doctissimi viri dixe-  
rim, est extra Galeni mentem; nam cum dicat Ga-  
lenus ibi, non numero dierum sed vni virium ro-  
bori in febribus eius generis attentum esse, nec-  
essariò de synochis venit intelligendus.

Alij ultra principij cancellos progrediētes, existi-  
mant Galenum sanguinem mississe in augmento.  
Quorū cogitationi occasio ē ipse videtur praebuis-  
se, cū ait. Verū quoniam quintum saepe diē aut sextū ab  
initio expectant, prius quā nos ad curandū accersant, expe-  
dit nihilo sectius quoq; sanguinē detrahere, etiā si huius au- Lib. de sang.  
xilij primū tēpus sit omisum. Idē sentire, aiunt, lib. no- miso. c. 20.  
no meth. cum dixit. Optimum igitur factus est, statim non cap. 5.

numero



numero dierum &c. Cui opinioni libenter subscribo, & concedo licere ex Galeno sanguinem de trahere in augmento, sed non tam frequenter, ut nouus eius expositor cogitat, sed aliquando, non nunquam, interdum, & ut ita dicam raro, & quodam modo coacte. Nam cum Hippocrates, ut supra aduertit, omnia requisita pro suorum dogmatum veritate supposuisset ad ordinariam & legitimam curationem; & in primis quod medicus vocetur a principio, non illi in mentem venit inordinatus curandi modus, quem postea (ut & alia multa) Galen. suppleuit, sanguinem aliquando mittens in incremento; nempe quando omissa fuit venae sectio in principio, atque id circo dicebat, *Etiamsi huius auxiliij primum tempus praeterierit. Ac si diceret, vera curatio est & legitima, euacuare a principio; si tamen hoc non sit factum, vel quia ab initio medicus non fuit accersitus. Quoniam quintum saepe diem aut sextum ab initio expectant, prius quam nos ad curandum accersant; vel ob medici incuriam, aut aegri timorem, vel ob aliquam aliam causam praetermissa fuerit in principio venae sectio, licebit nihilominus in incremento venas secare, si adhuc sint plenitudinis signa, & virium robur sustineat; verum non ita commodè fiet, quem admodum in principio, quinimo quodam modo coacte. Nam licet haec non sit regularis & ordinaria curandi ratio, quae (ut supra probaui) iuxta Hippocratis & Galeni decreta exigit circa initia multitudinis euacuationem; est tamen necessaria & coacta, instituta propter melius. Ex qua negari non potest aliquid incom-*



incommodi consequuturam naturam; nihilomi-  
 nus multo maior est commoditas ex euacuatione  
 plenitudinis in tempore opportuno, quam ex o-  
 missionis utilitas. Tutius enim erat primis diebus  
 videlicet in principio, id efficere, sed necessitas  
 adhuc deonerandi naturam, cogit nos potius id  
 aggredi extra debitum tempus, quam timor per-  
 turbationis naturae concoctionem iam aggressae,  
 & in augmento manifestè coquentis, retrahat  
 nos a necessaria euacuatione. Maius enim pericu-  
 lum imminet ex improporcionata naturae plenu-  
 dine in acutis morbis (quos citò breuique tempo-  
 re finituros speramus) nisi protinus auferatur, etiã  
 si paulo tardius debito sit, quam naturae turbatio,  
 quae ex venae sectione intempestiua oriri potest.  
 Et in hoc euentu licet in incremento venas sece-  
 mus, ad huc tamen in principio quamuis phisico,  
 id facimus. Non enim tunc temporis sanguis mi-  
 titur tam nomine illius materiae, quae iam conco-  
 cta apparet, quam merito alterius crudae, quae nõ  
 dum apparet, citiùs tamen & certò apparitura, si  
 ad huc natura proportionatè exoneretur, ita vt su-  
 pra residuum potentior euadat. Nam etiam si, co-  
 ctiones, Auctore Hippocrate, iudicij celeritatem, & I. Epid. se Et  
 securam sanitatem portendant, Galenus tamen perpe- 2. 45.  
 tuae veritatis hanc iudicat sententiam, dum mo-  
 do absolutam concoctionem sequatur succi pec- lib. 2. prog.  
 cãtis sufficiens euacuatio. Necessè est enim & ma- comm. 67.  
 teriam satis esse concoctam, & satis excerni per af-  
 fectionem quae in sanitatem itura est. Secũdo ad  
 hoc quòd sit vera Hippocratis sententia, coctio  
 D debet



debet esse vniversalis & perfecta. Nihil enim inconuenit, quampiam materiae partem esse concoctam; seu quampiam in parte priuati contortionem fieri, tota materia quae in venis continetur adhuc cruda. Ex qua potest aeger mori, ut Cratistonaetae, & pictoris ancillae contigit; ductis enim ad suppurationem parotidibus perierunt.

I. Epid. sec.  
2.84.

Sed iterum ad incrementum redeamus, in quo sanguinem mittere in nostro casu nec ipse Hippocrates negaret. Quia non prorsus in incremento, & statu prohibere euacuationem videtur, sed tantummodo consulere, quietem esse meliorem. Et hoc est quod satis prudenter Brasauolus innuit, cum in commentatione in illum Aphorismum. *Cum morbi inchoant, dixit. Sub vigore augmentum vniuersale intelligimus, quoniam in hoc tempore melius est quietem habere. At si fieri contingeret, augmentum commodius est quam status.*

2. Aphor.  
29.

Obiectio.

Sed contra hoc potest obijci, nisi leuetur natura in principio, quando, aut quo modo poterit concoquendo proficere? quorsum praeeptum Galeni de leuanda natura, exonerandaque humorum sarcina, si id nimis necessarium non esset? Si non exoneretur natura, quo modo poterit vincere? interrogem ego, quo modo natura vincere potuit, quando omisso venae secandae remedio, vel virium febris, vel largum sanguinis profluium, vel sudor copiosus ex manifesta pernitie aegros liberauit?

Responsio.

An quia naturae forti nihil est impossibile? atque ita etiam haec subita morbi liberatio illi concedi potest, non quod aegri, (ut nonnulli voluerunt, inter quos est Lemsius) conualescere aliquando



quando, ac sanari sine morbi coactione possint (lib. 7. meth. quæst. 4. Detoti. mor temp. cap. 3. & alibi.) stat enim apud Galenum, salutarem nullum morbum esse, qui non principium, incrementum, statum, & declinationem pereurrat) sed quod ipsa experientia sæpe attestatur, vno interdum momento priora morbi tempora pertransire, ac statim ipsum quã celerrimè aduentare. Præceptum verò Galeni de leuanda natura, saluberrimum est, inquit ille; ego verò dico, non esse simpliciter necessarium; aliàs nemo febricitans, omisso remedio, superstes euaderet. Multos autè præcipuè ruficos quotidie experiētia videmus; prætermisso remedio, nempe sanguinis inissione, hæmorrhagia id est sanguinis pernareseffusione copiosa, euadere & sanari. Quod etiam contigit mulieri, cuius meminit Galenus libello aduersus Erasistratacos. *cap. 7.*  
 Hactenus de primo Galeni loco.

Iam ad alterius explanationē accedo: censeoq; Galenum eo in loco hoc idem voluisse, nempe licet nonnunquam sanguinem mittere in incremento, quando videlicet in principio vel omnino auxilium fuit omissum, vel non sufficienter facta euacuatio. Extat autè locus libro de optimâ secta ad Trasybulum, vbi hæc scripta reliquit. *Age enim in morbi decremento clister, inunctio, cataplasma, & c. n. que adhibeatur. Quorum cuiusque proprium tempus est. In pluribus autem morbi temporibus idem nonnunquam auxilium fertur, graecè τὸ αὐτὸ ἐστὶν, ὅτε βούληται ἐκκρίνωμεν. In initio namque morbi & incremento sanguis mittitur. Vbi annotanter Galenus posuit illud aduerbium temporis non nunquam, graecè ἐστὶν ὅτε (Ita enim legendum in codice*



Lib. de opti  
ma secta. c.  
38.

In com. A  
pho. cit.

Græco, non ut hodie legitur cum inciso post verbum *ἰν*, dicimus enim *ἔστιν ὅτε*, vel *ἔστι ὅτε*. Quod idem significat ac aliquando, interdum, quandoque & ex ipso met Galeno idem est ac rarò. Quasi diceret, sanguinis missio, licet in principio morborum frequentissima sit, immo, ut ipse ait, semper fiat. (Idem enim, inquit ille, *semper remedium accipitur, ut quocumque morbi initio sanguinis de tractio.*) rarò tamen in incremento adhibetur, ac proinde in pluribus morbi temporibus idem non nunquam auxilium fertur. Nam cum illud adverbium temporis, *non nunquam*, non appellet supra principium, necessariò supra incrementum debet appellare. Parcant mihi delicatiores aures terminis logicis utenti. Sic enim loqui necessitas cogit. Hunc verò esse legitimum huius loci sensum, tacilè & euidenter demonstrat modus loquendi, quo Hippocrates, & Galenus utuntur, quoties sermo incidit de purgatione humorum turgentium. Aphorismo enim. 24. libri. 1. *In morbis acutis rarò &c.* Quoniam rarò, inquit Galenus, *humores turgent.* Qui quidem sensus plane videtur conuenire, vnusq; & idem esse cum hac Galeni loquutione, quando dicit. *Incipientibus morbis acutis tantum purgare vtiliter contingit aliquando, id est, non nunquam, interdum, græcè ἐπιότε.* Sed si ex Galeni phrasi *non nunquam*, idem significat ac rarò, ille que in incremento venas secuit rarò, & eius nouus expositor frequenter.

Rarò & frequenter simul stare nequeunt.  
Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur.

Quam obrem tuum erit (lector optime) nunc  
iudi-



iudicare, quanto melius doctissimus Vallesius Hispanorum medicorum Coriphæus, difficulter, raro, atq; (vt illius verbis vtar) *si ad huc necessitas incidat*, in morbi incremento cum Galeno venas aperuerit, quã eius hoc in loco expositor, ad suum, non Galeni placitum, frequenter esse secandas asseruerit. Sed vtinam auctorum verba non oscitanter a nonnullis legerentur, ab eis maximè qui se faciunt aliorum Aristarchos. Scripserat enim antea Vallesius, paulo supra in eodem capite. *Rectè dictum esse ab Hippocrate in principio & declinatione esse euacuandũ in morbis, elapso verò principio euntibusque morbis in vigore, & multo magis in ipso vigore, melius esse quietem agere. Et cum sint, addit ille, duae maximae euacuationes, venae sectio & expurgatio, illam in principio locum habere multo magis quam in alio tempore, quia quo citius agitur, eo melius. Adeo vt dictum sit a multis veteribus, non esse ultra quartum secandam venam. Atq; adeo ab Auicenna semel dimissam sectionem non esse amplius suscipiendam. Vtrumq; verò errore. Ac proinde statim Vallesius dixit, non nunquam vtiliter suscipitur in incremento, cum aliquãdo dictorum aliquid est. Haftenus Valles.* Qui verò scire voluerit, cuius hic fuerit error, Auicennae, an eius interpretũ, legat Eustachiũ Rudium suae practicae libro. 3. Dicet curiosus medicus, haftenus demonstratum esse, rectè quidem Vallesium cum Galeno raro in incremento sanguinem de traxisse. At cum in statu sanguinẽ mittit, ab illo maximè dissentire, nam morbo consistente, inquit idẽ Galenus (loquens de venae sectione & expurgatione) horum neutrum oportet ad

*lib. 4. meth. cap. 2.*

*De materia chirurg. in putrid. feb. cap. 21*

*Obiectio.*



libere. Dicit enim Hippoc. & Galenus supponant in principio factam esse sufficientem euacuationem, quod ad illam attinet, recte eos consulere in statu  
*lib. 6. Epid. melius esse quietem agere (alibi enim dixit. Ex ad-*  
*sec. 2. 19. hibitione contraria adhibere, & quiescere) Verum si ob ali-*  
*quam causam, & finem adhuc necessitas euacuan-*  
*di incidat, etiam in statu euacuare possumus. Pos-*  
*sibilitas enim, ut venuste dicebat Auicenna, est res*  
*2. Aph. 29 ampla. Ita Antonius Musa, supra. Quietem habere melius*  
*est, satis prudenter ait. Dixit vero melius esse, ut simul ostē-*  
*dat posse moueri, quando opus sit. Tamē aptius erat in principio*  
*moueri: quoniam circa initia & fines &. Haecenus Musa.*

In ipsa autem vniuersali morbi declinatione ve  
nae sectione nonnunquam utiliter utitur Valle  
sius, pro auxilio attemperante viscera: forsan non  
ad suum, sed Auicenna. placitum; qui in declinatione  
quartanae sanguinem detrahendum praecipit, dū  
*F. 1. 4. trat. ait. Et in fine quartanae, si necessaria sit phlebotomia, au*  
*2. cap. 64. de super eam. Quam Auicennas refrigerationis gra-*  
*tia jubet faciendam, ut interpretatur expertis-*  
*simus Nicolaus. Quia febris diuturnitate hu-*  
*ca. de quar*  
*ana. mores sunt super calfacti, ac proinde & viscera. In*  
*cacochymia enim sanguinem interdum detrahi-*  
*mus citra sanguinis redundantiam, non habita ca-*  
*cochymiae ratione, sed ob causam aliam adiunctā.*  
*Sic Galenus lib. tertio de loc. affec. ait. Vbi vero*  
*esp. 7. solum cerebrum infirmius, quod ad hanc dispositionem atti-*  
*net, sanguinis detractio non indiget, quauis ob aliam quā-*  
*piam causam sanguis mitti possit.*

Sed quia auctor expositionis tunc ad scopum  
permittentem cum Galeno confugit; secundo ad

famo



famosam Galeni, & Avicennae auctoritatem docentium, ut initio ardentium febrium (deficiente virium robore) ad attēperationem se conuertat medicus, refrigerantiaq; substituatur, sciat ille pro horum auctorum conciliatione, in principio ardentiū febrium (deficiente virium robore) ad attēperationem febrishos auctores se conuertere. Quia quavis sit morbus exoptulans, deficit alter scopus praecipuus virium consentiens. Quia indicatio praecipua sumitur à viribus; dexter enim oculus in virtute, sinister in morbo. Secus autē se res habet in statu, & declinatione morbi salubris. Non enim semper virium robur ad sanguinis detractionem in his temporibus sufficiens deficit. Solet enim saepius adesse. Nam tunc facultas naturalis, & vitalis (quae praecipuè requiritur ad venae sectionē) inquit Galenus (de statu loquens) fortiores sunt. Nimirum cum sint iam propè victrices. Quod si diccas esse fortiores respectu causae morbificae; tamē fatendum nō est, ita esse debiles, ut si res postulet, vel venae sectionem, vel expurgationē non sustineāt. Verūm consistente morbo, cū iam natura concoquit, inquit Gal. superfluū est euacuare, tū propter alia, tū quia facultas animalis maxima ex parte eo tēpore est defatigata: naturalis verò & vitalis (quas omnes sub nomine *δυνάμειωσ* intelligit) valde laborians, quodammodo labefactata, & oppressa, (non quòd reuera per essentiā sint debiles) atq; ita inquit ille. *Adhuc remedijs in morbi vehemētia adhibitis magis opprimitur, & proprijs opibus direptis infirmior redatur, & ledētibus causis magis succūbit, morbiq; auctores nullā*

*Obiectio.*

*Respon.*

*De opr. sec.  
ad Tr. 13b.  
cap. 40, &  
41.*



*tenus expellere potest. Si quidē remedia. cū in primis praeter naturā sint, necessario & facultatē adhibita vexāt, Secūdo cū naturalia morboſis permixta sint, nihilominus bonorū, quā malorū detractio fit. Vbi aduerte aliud esse apud Gal. vires dissolui, aliud vexari aut opprimi. Primū enim imbecillitatem per essentiam, secundum per aggrauationem significat. Ex quibus colligo, duplici nomine in vigore non esse euacuandum per venae sectionem vt plurimū ratione morbi; quia non adest ex postulās, sola enim remanet cacochymia, cui debetur expurgatio. Secūdo quia facultas (sub qua vires intelliguntur) infirmior ex euacuatione redditur. Et haec duo satis acutē significauit Auicennas, fidus Galeni interpretēs, cum dixit, (dum de febrium cōtinentiū curatione agit) *Tunc non phlebotomes in statu eius, cum non sit ei intentio, & fortasse interficit propter aduentum debilitatis virtutis.* Sic ex Auicenna ea debilitas quae ex euacuatione aduenit, est quae interficit, non quae aderat, vt male intellexit expositor. Quòd autē in morbis salubribus, praecipuē febribus in statu, nedum in declinatione facultas (quam dixit vexari Galenus) non sit in essētia debilis (haec enim non solū venae sectionē, sed expurgationem prohibet) sed tantū in statu oppressa onere cacochymiae, quemadmodum in principio plenitudinis sarcina, apertē cōstat. Quia si ita esset, quòd in his temporibus vires essent dissolutae, in declinatione, seu vltima status parte ne expurgatio quidem cōueniret. Haec etenim licet secundū aliquos minus, adhuc tamen secundum alios, maius virium robur respectu venae sectionis requirit*

*In Vigore  
 Vt plurimū  
 non fit eua-  
 tio ratione  
 morbi*

*F. I. 4. tract  
 2. cap. 45.*



requirit. Adde etiam quod natura nullam salubrem faceret crism.

Inde videre est quā falso oppositionis redargua- tur Vallesius ab eius vitiligatore. Sed nihil mirum. Nam quemadmodum Luna tunc plena est, cum Soli in suo motu est diametra, sic ille, cum in suis exercitationibus se se Vallesio opponit; eum corrigi, ei resistit, mortuū mordet, & cum eius umbra depugnat. At *CVM* mortuis non nisi larvae luctantur. Vnde nō illepide Philostratus Aeliano sophistae, mortui Gynnidis accusationem paranti, miraturum se dixit, si viuum accusasset.

li. 3. de die. decre. c. 2

Flinius in praefat.

Cael. Rhod. lib. 21. cap. 32.

*Nunc telis peritote meum post fata cadaver.  
Audet vel lepus exanimi insultare leoni.*

Ex Graeco Epigr 4.

Restat nunc hinc in ordine satisfacere aliquibus suarum assertionū, & rationibus quibus quae libetillarum fulcitur. Prima Conclusio, in qua probat, sanguinis missionem suam sibi praecipuum locum vindicare in morborum initijs, tam per se est vera, ut minimè indigeat probatione. Ego verò

Terent. in Eunuch.

*Quae vera audiui, taceo, & contineo optumè;  
Sin falsum, aut vanū, aut fictum est, continuo palam est,  
plenus rimarum sum, haec & illacque perfluo.*

Ad secundā assertionem, qua probat in morborū incrementis etiam venas esse secandas, ex dictis patet quando in augmento sanguis mitti possit, & quando minimè, & quomodo sit intelligendus Gal. locus, in quo in incremento sanguis mittitur.

Ad primam rationem, qua probat adhuc per stā dum in venae sectione, dum incitatur fluxio in pu

E uedinis



*lib. 8. de san  
gui. miss. c.  
7. & lib. 22  
Epist. 5.* **in** medio foecum, respondeo sanguinis detractionem  
in his febribus continentibus ratione euacuatio-  
nis fieri; & si reuulsionis etiam gratia, adhuc in  
principio fluxionis fieri, vt probat Augentius. Ad  
Aristotelis maximam, *medium se habet vtrumlibet ad*  
*vtrumlibet*, respon. intelligi de medio phisico, & natu-  
rali, vt mediij colores participat extremos; non de  
medio successione, quale se habet augmentu ad  
principium, & statum. Nam medium dicitur, quia  
post principium immediate succedit, no quod par-  
ticipet principij rationem & naturam, cum princi-  
pium tantum cruditatem includat, incrementum  
manifesta coctione. Immo quia magis participat  
vigoris naturam, sub vigore probauimus includi.  
Quod autem medium successione extremorum  
non sit particeps, patet exemplo in instanti tem-  
poris, quod licet sit medium successione, non parti-  
cipat extrema, quae sunt diuisibilia, ipsum tamen  
istans indiuisibile.

Ad quartam & vltimam assertionem, qua defen-  
dit venae sectionem in declinatione vniuersali no  
esse necessariam, nec vtilem, cum bona illius venia  
falsissima cum sit, si absolute, & vt iacet, absq; dis-  
tinctione intelligatur, tacere non possum. Na que  
admodum datur conualescentia vera, & falsa, ita  
& declinatio. De vera declinatione recte quide sta-  
bilis est conclusio, & sic Gal. *Post veram declinatione*  
*inquit, iam tempus refectionis instat.* Secus se res habet in  
non vera, imperfecta, & no integra. Na in hac (quo  
admodum in conualescentia non vera) sanguis mitti  
potest refrigerationis aut alterius finis gratia. Quis  
hoc



hoc dixit? in signis medicus Vallesius. Quis hoc fecit? Archiatros Vallesius, non quòd esset *Alcalde de oficio*, como dixit noster expositor, sed quòd re vera melius quam ille Galenum calluisset. Melius namque calluit Vallesius Galenum, quam ipse Vallesius.

Et haec dicta sint circa opportuna tempora ad sanguinis missionem in febribus praecipue, quando videlicet eiusdem morbi nomine illa exercetur.

In huius modi verò tractatione mihi videor, minime oleum, & operam (vt in prouerbio est) perdidisse, si illud vnum intelligas (benigne lector) tibi que certò persuadeas, me non animi morbo, sed vnius veritatis investigandae gratia, in hanc palaestram descendisse: atque eo esse contentum, quando assequi illam mihi non liceat, si meo labore & opera alijs stimuli ad moueantur, & illius inueniendae, & iuuandae rei publicae occasio offeratur.

Nam nunquam non mihi arrisit Cœlij Calcagrinini dictum. *Proficiendum dum scribimus, scribendum dum proficimus. Denique satius est male, modo non pessimè, scribere, quam nihil.*

Sed vt medici praesertim Tyrones, quibus haec scripsi, non doctioribus (ego enim is sum qui more pithagorae profitear *μαθητὴς δὲ δάσκειν, ἀλλὰ κοινωνεῖν*, non docere, sed communicare) instructi iam Hippo. & Galeni praeeptis, quando in augmento, & vigore ab euacuatione sit cessandum, quando verò agendū praecipue in augmento, idque eiusdem morbi nomine, opere practicum duxi alios adducere casus, quibus etiam in his tēporibus liceat euacuare.

Cogimur interdum iterare venae sectionem re



lib. de rot.  
mor. temp.  
cap. 7.

Valisioris gratia, ut quando humor de nouo in aliqua partem principem decumbere videtur; & dubium est ne ibi figatur, ac inhaereat: aut si dolor aliquis infestans partem aliquam occupauerit. Sed haec curatio ratione noui morbi superuenientis fit, ac proinde in principio alterius morbi euacuamus. Contingit & interdum iterum venae sectionem in augmento vacuationis gratia per superuentum noui morbi V. G. Si intermittens febris in continuam transeat, sed hoc non est proprie operari in augmento. Nam tunc morbus superueniens est in principio. Similiter agimus quando plures complicantur morbi. Nam tunc temporis iuxta Gal. doctrinam non inconuenit esse in augmento vnius, vel in vigore, & esse in principio alterius morbi, eo quod confundantur tempora diuersorum morborum. Fit etiam aliquando ut materia iam cocta, morbus denuo recrudescat, ac iterum efferbescat, & tunc in principio sanguinem detrahimus, quod quidam alij dicant morbo recrudescente sanguinem non esse mittendum.

lib. 2. Aph.  
29.

Tandem huic nostro discursui victimam imponens manum, acutissimi Cardani in hanc rem egregiam auctoritatem adducam. Qui post multas Hippocratis historias relatas, in quibus tam in augmento quam in statu venas secuit, & expurgauit Hippoc. maximè in diuturnis morbis, ita concludit. Ideo fieri potest, ut status prioris morbi sit initiū abcessus in cerebro, vel pulmone, vel sub latere, & tunc purgare licet, & venam secare, ut hoc non te lateat.

AD



AD LECTOREM.

*Vine, vale. Si nondum nosti rectius istis,  
Vtere iam dictis mecum: aut quaere his meliora.*

*Hocvatesad  
Niccolam.*



LAVSET HONOR DEO OPT. MAX.  
semperq; Virgini, eius genitrici Mariae, &  
sanctissimis Divis, Hieronimo Doctissi-  
mo, & Francisco humilissi-  
mo patronis.



# MEMORANDUM

Subject: [Illegible]

[Illegible]

[Illegible]



